Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1719
Quelle:
Copyright:

citati a *Tiraboſco* T. VII. *Storia della Letterat. Ital.* P. III. L. 3. p. 88. Mihi filius *Torquatus* patris *Bernardi* luminibus apud Populares ſuos obſtruxiſſe videtur, libenterque de eis uſurpo; quod eſt apud Poetam: *Fortes creantur fortibus.*

DCCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. X. R. 572 VI. Folior. 15. 4. inſcribitur: *Elegia et Hymnus de Virtute et Officio Angelorum. Ad Sereniſſimum — Carolum Archiducem Auſtriæ* &c. *A Joanne Graſſio Geldro et Bernhardo Byzantio Heluetio. Anno Domini.* M. D. LXVII. Praeit elegiaca Dicatio:

Pectore magnanimum forti qui uincis Achillem
Carole, Pannonii Dux generoſe ſoli.

Scribendi occaſio:

Sic mihi materiam quaerenti ſcribere ſacram
Principium fecit carminis ipſa dies.
Feſta dies Michaelis adeſt, qua fertur in orco
Luciferum uinclis ipſe ligaſſe trucem.

Elegia *Graſſii* eſt, Hymnus ſapphicus *Byzantii*, qui orditur:

Quid ſacrae, magni Soboles Tonantis,
Quas juvant Pindi nemoralis umbrae,
Verba ceſſatis fidibus canoris
Jungere Muſae?
Lux adeſt Divi Michaelis alma &c.

Uterque Poeta non infecundae venae. Poſterioris quaedam etiam typis edita videre me memini. Ab Eruditorum Lexicographis tacentur.

DCCXIX.

R. 353 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 327. f. nitide perſcriptus Verſio eſt praeclari Operis *Joh. Lud. Vivis Hiſpani Valentini de Inſtitutione Feminae Chriſtianae*, Virginis, Conjugis, Viduae, quod is latine ſcripſit ad *Catharinam Aragonicam* tunc *Henrici* VIII. uxorem reginam, anno 1519. ut *fol.* 324. adſerit noſter Interpres, ſed rectius 1523. iſto enim anno *Brugis* 7. *Apr.* ſubſcripta eſt ad eandem Principem Dicatio. Eſt porro Interpres hic *Joh. Jacobus Gatt zum Hof vnd Aigen* nobilis quidam Τοπαρχης, for-